

ergo quis amare patrem; filium; uxorem; aut quid simile intensive plusquam Deum, diligendo appetiatiue Deum super omnia. Hinc excusantur a gravi matres, quæ solent filios deperire; licet raro, saltem a veniali excusentur ob nimium excessum.

Hæc doctrina vera, & sana est, quidquid P. Concina eam prius concedens postea negare contendat. Nec est ad rem textus ab eo laudatus in oppositum, qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus. Intelligitur enim appetiatiue, hoc est, qui ex amore patris, aut matris me deserit, vel graviter offendit, non est me dignus. Nec aliud probant omnia, quæ producit Concina tom. 1. pag. 187. & seqq. Et tandem concludit rem esse de voce.

5. Objic. caritas magis inclinatur ad diligendum objectum primum, quam secundarium; sed Deus est objectum primum caritatis, cætera vero objectum secundarium: ergo etiam intensive debet Deus præ cæteris amari. R. dicitur, magis inclinatur ex natura sua, & radicaliter, conced. maj. proxime, & in exercitio libero, nego maj. & conseq. Nam licet caritas secundum se, & ex natura sua magis inclinatur ad diligendum Deum, etiam intensive; non tamen pro ut nobis infusa: quo pacto illa libere utimur in exercitio, & ideo possumus interdum remissius Deum diligere, quam alia, manente amore appetiatiuo, & inclinatione radicali, etiam intensius diligendi eum.

6. Ex quo legitime inferitur, obligationem caritatis nullam exigere determinatam intentionem ad sui adimpletionem, sed sufficienter impleri per quemlibet actum veræ dilectionis Dei. Quod etiam tenet in obligatione fidei, spei, contritionis, & similibus, cui satisficit per verum actum harum virtutum, quia opus sit elicere actum determinato gradu intensum; licet ad intensissimum conari semper melius sit. Quod plane docet D. Thom. dicens: cum autem id, quod cadit sub præcepto, diversimode possit impleri, non efficitur transgressor præcepti aliquis ex hoc, quod non optimo modo implet, sed sufficit, quod quocumque modo impleat illud. Et infra addit: Non

est transgressor præcepti, qui non attingit ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum. 2. 2. q. 184. a. 3. ad 2.

7. Objic. Deus imperat, ut eum diligamus toto corde, anima, & viribus: erg. non per quemlibet actum adimpletur obligatio caritatis. R. neg. conseq. quia semper, ac cor hominis ita feratur in Deum, ut nihil grave contra ejus dilectionem admittat, sufficienter salvatur obligatio caritatis: quæ non amplius exigit, quam ut omnia nostra referamus in Deum habitualiter, & etiam actualiter temporibus infra assignandis, ita idem Angel. 2. 2. q. 44. a. 4. & 5.

8. Pro cuius majori luce nota, quod amor caritatis est triplex. Primus, quo ita diligitur Deus, ut nihil fiat, quo graviter offendatur. Secundus perfectior, quo nihil, etiam leve, deliberate fiat contra ejus voluntatem. Tertius perfectissimus, quo non solum vitetur omne grave, & leve contrarium Deo, sed totaliter homo subjiciatur ejus voluntati, ita ut nihil velit, nec amet, nisi Deum, aut propter Deum. Primus gradus pertinet ad incipientes, & sufficit pro adimpletione præcepti caritatis. Secundus ad proficientes. Tertius ad perfectos.

9. Inq. 5. An caritas sit amicitia propria hominis ad Deum? R. affirm. Patet ex Psalm. 138. Nimis honorati sunt amici tui Deus. Ex Joann. 13. Jam non dicam vos servos, sed amicos. Et ex D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 1. ubi concludit: Unde manifestum est, quod caritas amicitia quædam est hominis ad Deum. Augetur per repetitionem actuum, in quantum nostri actus physici disponunt ad ejus augmentum, quod producitur a Deo juxta majorem, vel minorem intentionem, & dispositionem subiecti. Destruitur per quodlibet peccatum mortale. Non minuitur quoad essentiam directe per peccata venialia: minuitur tamen indirecte per illa; tum quia impediunt frequentiam actuum caritatis; tum quia labefaciunt ejus fervorem; tum quia indisponunt ad auxilia, sine quibus homo nihil potest operari: tum denique, quia plura peccata venialia generant habitus viciosos, qui suapte natura inclinant ad peccatum. Ideoque diligenter cavenda sunt,

ne

ne qui modica spernit, paulatim decidat.

PUNCTUM II.

De præceptis caritatis.

10. Inq. 1. An detur præceptum speciale caritatis? R. affirm. Constat ex Deuter. 6. vers. 4. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Et ex Matth. 22. Probatur ratione. Quod est necessarium ad vitam æternam consequendam cadit sub divino præcepto; sed amor Dei est præ omnibus necessarius ad dictum finem; quia sine illo omnia sunt velut res sonans, aut cymbalum tinniens: erg. datur speciale præceptum de amore Dei, seu caritate.

11. Inq. 2. Quot sunt præcepta caritatis? R. esse quatuor: duo affirmativa, & duo negativa. Affirmativa sunt, diligere Deum, & proximum. Negativa sunt, non odisse Deum, nec proximum. Hæc negativa præcepta obligant semper, & pro semper: nam si hoc est commune omni præcepto negativo, quanto amplius convenit præceptis potissimis caritatis, & præcipue odio formali Dei, quod est omnium peccatorum maximum.

12. Pro quo nota odium esse duplex, nempe, speciale, & generale, aut formale; & materiale. Odium formale Dei, aut proximi est velle malum Deo, aut proximo, vel displicere sibi de sua felicitate. Odium generale, aut materiale datur in quolibet peccato contra Deum, aut proximum: Sicut inobedientia generalis reperitur in omni peccato; inobedientia vero specialis solum datur, dum quis resistit præcepto formali, ut tali. Itaque solum odium formale constituit distinctum peccatum odii, quod respectu Dei est maximum, quia opponitur maxime virtuti, quæ est caritas. Respectu proximi etiam est maximum inter peccata contra proximum, licet alia majus nocumentum illi inferant. Ut patet in homicidio, quod esto ex odio non procedat, ut in Asiaticis, aut Sicariis, maximum nocumentum proximo infert.

13. Inq. 3. Quando obligat præceptum dilectionis Dei? R. obligat directe, & per se ad actum explicitum, & super-

naturalem quinque temporibus. 1. In ingressu morali usus rationis, juxta captum, & capacitatem subiecti. 2. In articulo mortis. 3. Semel saltem in anno. 4. Quando infideli proponitur sufficienter fides. 5. Quando urget gravis tentatio contra caritatem, quæ sine actu caritatis vicini non potest; licet plures in hoc casu sentiant non obligare per se, sed per accidens. Idem dicunt de illo, qui est proximus martyrio, sed tunc revera est in periculo, vel articulo mortis, & ex hac parte abs dubio tenetur per se ad actum dilectionis Dei.

14. Obligat per accidens in omni eventu, quo instat aliud præceptum, quod impleri nequeat absque actu caritatis: Ut quando existens in peccato mortali tenetur recipere, vel ministrare sacramenta, & non est copia Confessarii, debet enim tunc elicere actum contritionis, & consequenter dilectionis Dei super omnia,

15. Inq. 4. An teneatur per se homo aliquo tempore vitæ elicere actum caritatis? R. affirm. constat ex prima propositione damnata ab Alexandro VII. quam dedimus tractatu de fide num. 45. imo præceptum caritatis obligat per se aliquoties in vita, ut patet ex propositione 5. damnata ab Innoc. XI. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita elicuerit, condemnare non audeamus. Adeo laxa, & luminis naturali repugnans etiam primo aspectu apparet hujusmodi propositionis cogitatio, ut vix capi possit, quomodo in mente hominis catholici locum unquam habuerit.

16. Inq. 5. An dictum præceptum obliget plusquam singulis quinque? R. affirm. constat ex propositione 6. scripta ab ipso Innoc. Probabile est, nec singulis quidem rigorose quinque per se obligare præceptum caritatis erga Deum. Obligat etiam præceptum caritatis, quando non tenemur justificari, est enim præceptum potissime iustorum, & filiorum. Unde juste damnata est ab eodem Pontifice propositio 7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

17. Præceptum ergo suavissimum amoris Dei adeo in utroque testamento com-

mea-

mendatum sæpius ad sui adimpletionem dulciter obligat. Nihil enim dulcius, quam Deum diligere. Si Deus est summum bonum, omnia bona in se continens, summeque amabilis, quomodo non amatur ab omnibus? imo quomodo a tam paucis amatur? R. Quia diligunt homines tenebras magis, quam lucem. Si Deus, qui non indiget nobis, diligit nos ab æterno, continuisque cumulat beneficiis, in ipso enim, & ex ipso gaudemus vita, sensibus, motu, viribus, & ceteris donis naturæ, & gratiæ, cur non sæpe, sæpius eum diligemus? O! Diligamus sæpe optimum Domini. Sed quia tempus huius obligationis hucusque ab Ecclesia non est præfixum, ideo cum communiori dicimus obligare temporibus supra assignatis. Verum quia circa obligationem in ingressu usus rationis, non levis est controversia, illam ratione fulcire, & ab objectionibus vindicare opere præmium judicamus. Quare:

18. Dicendum est, præceptum dilectionis Dei obligare per se in ingressu morali usus rationis. Assertio est D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 6. *Ubi* concludit: *Si vero non ordinet se in debitum finem, secundum quod in illa estate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in se est.* Prob. ratione: præceptum dilectionis Dei super omnia aliquando obligat; sed nullum tempus opportunius designari potest huic obligationi, quam illud, in quo homo rationis compos factus deliberare de se ipso valet, quod est instans morale usus rationis: ergo tunc obligat per se.

19. Confirm. in primo rationis instanti morali debet homo deliberare de fine ultimo, ad illum se, suosque actus dirigere, arripereque viam salutis; sed præceptum caritatis ad hoc ordinatur, ut quis se, suosque actus dirigat in ultimum finem: ergo tunc obligat.

20. Confirm. etiam ex propositione 1. ab Alexandro VIII. damnata, quæ loquens de ultimo fine, inquit: *Hunc homo non tenetur amare, nec in principio, nec in decursu vite sue moralis.* Ergo tenetur Deum amare in principio vite sue moralis. Et licet proscriptio non cadat præcisè supra obligationem amandi Deum in principio vite moralis, non leve tamen

intelligit vulnus oppositæ sententiæ, nec parvum fulcimentum tribuit nostræ.

21. Objic. 1. Præceptum adeo arduum in tam tenera ætate derogat suavitati legis divinæ: ergo non datur. R. neg. antec. quia licet præceptum diligendi Deum super omnia sit arduum ex parte objecti, nunquam est facilius, quam in illa ætate, in qua pueri nullis sordibus vitiorum mentem inquinatam, nullave fascinatione nugacitatis obscuratam habent; alias Deus præsto est ad conferenda auxilia, quibus si bene utantur, bonum honestum amplectuntur, & facillime adimplent divinum præceptum.

22. Objic. 2. Nequit obligare præceptum non cognitum; sed pueri in instanti usus rationis non cognoscunt præceptum diligendi Deum super omnia: ergo non obligat. R. Pueros in instanti usus rationis habere sufficientem notitiam huius obligationis: nam Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in mundum utique rationalem. Neque illud instans est metaphysicum, sed morale. Est ergo instans, in quo homo discernit inter bonum, & malum, ut eligat, quod voluerit. Si igitur agnoscens bonum, & malum declinet a malo, & faciat bonum, adimplet præceptum; si secus, illud violat, & peccat mortaliter.

23. Objic. 3. Præceptum caritatis est indeterminatum: ergo non obligat in determinato tempore. R. neg. conseq. quia eo ipso, quod est indeterminatum, citius obligat: quia omne tempus comprehendit. Ut patet ex *Deuther. 6.* Ubi notificans Deus hoc præceptum, jubet Moysi habere illud in corde suo, narrare filiis suis, meditari sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, insuper ligare illud in manu sua, scribereque in limine, & ostiis domus suæ. En præceptum, quo expressius commendatum, nullum reperitur in sacra pagina!

24. Objic. 4. Vix aliquis meminit se in illa prima ætate hoc præceptum implevisse, nec de ejus violatione communitè fideles consentunt: ergo signum est, quod non datur. R. argumentum non probare intentum: quia sicut vix unus meminit se adimplevisse præceptum; ita non meminit contrarium. Circa debi-

tum

tum autem consistit huius præcepti omissionem, cum dubia sit, saltem sub dubio constiteri debet; quod ita fecisse fatetur doctor Navarrus, qui cum Cajetano affirmat, & optime agere fideles omnes si conditionate se accusent de huiusmodi omissione. Nota, quod ad meritum augendum non sufficit caritas habitualis, sed requiritur aliqua directio saltem virtualis operum ad Deum, quæ supposita prima initio anni, mensis, hebdomadæ, aut diei facta, renovari, fierique actualis facile valet dicendo: *omnia fiant ad majorem Dei gloriam, vel omnia sint propter Deum, aut pro ejus amore*, ita pii viri sæpe renovando præsentiam Dei, & actus caritatis, æternum gloriæ pondus augent meritum.

PUNCTUM III.

De præcepto diligendi proximum.

25. Inq. 1. An detur præceptum divinum speciale diligendi proximum? R. affirm. Constat ex *Matth. 22. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.*

Nomine proximi intelliguntur omnes Angeli, & homines, qui beatitudinis supernaturalis capaces sunt. Unde fideles, & infideles, amici, & inimici, justi, & peccatores absque ullius exclusione, dum sunt viatores, nomine proximi intelliguntur, & jubentur amari, sicut te ipsum. Hæc particula *sicut te ipsum*, non jubet amorem æqualem, sed similem, ut docet D. Th. 2. 2. q. 44. art. 7.

26. Inq. 2. An qui diligit Deum super omnia, intransitive adimpleat præceptum diligendi proximum? R. neg. quia sunt duo præcepta distincta, quæ duplicem actum formalem ad sui adimpletionem postulant. Unde licet dilectio Dei formalis sit virtualis dilectio proximi, non sufficit, ut hoc præceptum impleatur, nec sufficientur actus externi caritatis in proximum: sed necessarius est actus internus, & formalis, ut constat ex propos. 10. & 11. ab Innoc. XI. damnatis, nempe: *Non tenetur diligere proximum actu interno, & formali. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

27. Tenemur ergo amare proximum *om. I.*

amore non solum externo, sed interno, & formalis benevolentia propter Deum: nam si illum amamus, quia consanguineum, amicum, aut aliud motivum naturale, & non propter Deum, erit quidem amor naturalis honestus; sed non amor supernaturalis requisitus adimplendum præceptum divinum caritatis. Unde debemus nos, & omnia alia amare propter Deum, ut hoc divinum præceptum impleamus. Ita D. Th. loco citato.

28. Inq. 3. Quo tempore obstringat hoc præceptum? R. obligare directe, & per se triplici tempore, nempe saltem semel in anno, & quando urget gravis tentatio contra caritatem proximi, quæ sine actu ipsius virtutis vinci non possit; & quoad actus externos, quando proximus est in necessitate corporali, aut spiritali, præcipue quando urget præceptum elemosynæ, aut correctionis fraternæ. Obligat per accidens, dum instat aliud præceptum, quod adimpleri non possit, quin diligamus proximum actu interno, aut externo.

29. Inq. 4. An hoc præceptum sit naturale, vel supernaturale? R. esse naturale, & supernaturale. Est naturale, quia lex naturalis præcipit amare socium, & similem in natura. Est supernaturale, quia Deus præcepto, & motivo supernaturali illud nobis jubet: ideoque sicut Deum jubemur diligere amore naturali, & supernaturali, ita & proximum. Unde, qui amaret Deum, aut proximum amore mere naturali, quando supernaturali est diligendus, violaret præceptum supernaturale. Ut accidit in omnibus, qui totum annum, vel plures transeunt in lethali. Isti abs dubio peccant graviter, omitendo actum caritatis Dei, & proximi, qui incompatibilis est cum statu lethali. Ideo licet proximum diligant, aut ejus necessitates succurrant, ad summum satisfaciunt præcepto naturali caritatis, misericordiæ, aut pietatis: quod notare debent Confessari, ut sciant, quod peccata committant penitentes, qui diu degunt in peccato mortali. Verum non suam, penitentiumque mentem multum torqueant in supplicatione omissionum: sufficit enim agnoscere diuturnitatem in peccato, & statum penitentis, quin omissiones in particulari numerentur: ma-

Zz

xi-

xime in illorum sententia, qui hoc præceptum omnibus festis sentiunt obligare.

PUNCTUM IV.

De ordine caritatis servando.

30. Cum ordo sit *recta dispositio, qua unicuique quod suum est, tribuitur*, in omni re est prudenter servandus; sed in caritate est modus intrinsecus virtutis: qua ratione cadit sub ejus præcepto. Ut autem majori claritate innotescat, duplex ordo distinguendus est, nempe ordo amandi, & ordo subveniendi: deinde ordo subveniendi potest esse in spiritualibus, & in corporalibus. Amor etiam quadruplex consideratur, videlicet, *apretiativus, intensivus, affectivus, & effectivus*. Quæ omnia triplici paragrafo explicabimus.

§. I.

De ordine amandi.

31. Inq. Quis ordo servandus sit in amando? R. In amore apretiativo servandus est sequens ordo: 1. Debes amare Deum super omnia: 2. Te ipsum. 3. Patrem. 4. Matrem. 5. Filios. 6. Uxorem. 7. Singularem benefactorem, qui te v. g. a morte liberavit. 8. Fratres. 9. Reliquos consanguineos, & affines juxta gradum conjunctionis. 10. Benefactores. 11. Amicos. 12. Concives, & conterraneos. 13. Omnes fideles, præferendo semper meliores, & nobiliores. 14. Infideles, hæreticos, judæos, Mahometanos, & alios barbaros; quos omnes caritas in communi amplectitur, ita ut nullum excludat, sive amicum, sive inimicum; in particulari autem secundum animi præparationem, & quando necessitas occurrat. Denique possunt, & debent amari creaturæ irrationales, & dæmones, non amore amicitia, quia non sunt proximi; sed in quantum volumus eorum naturam conservari ad gloriam Dei: ut ait D. Th. 2. 2. q. 25. a. 11.

32. In amore intensivo circa proximum uxor omnibus præferenda est, quia isto amore dimittit homo patrem, & matrem, & adhæret uxori suæ. Deinde fi-

lii, parentes, & reliqui secundum majorem conatum diligentis: quia ordo hujus dilectionis intensivæ non cadit rigore sub præcepto, nisi respectu uxoris quo ad habitationem.

33. Amore mere affectivo, seu complacentiæ post Deum, Angeli, & sancti omnibus præferendi sunt: quia in illis divina bonitas præcipue resplendet, tanto amplius, quanto majori sanctitate excellunt. Ex quo manifeste constat, beatissimam semper Virginem Mariam præ omnibus Angelis, & sanctis amore affectivo, & complacentiæ diligendam esse. Si ipsa nos diligit ut mater piissima, quod eam diligamus, ut obsequentissimi filii, justitia est.

34. In amore effectivo, & ordine subveniendi proximo in quavis necessitate præter extremam præponendi sunt primo filii. Ita expresse D. Thom. 2. 2. q. 26. a. 9. ad 1. ubi dicit: *parentibus a filiis magis debetur honor; filiis autem magis debetur cura provisionis*. Secundo uxor, quia circa domesticam, & æconomicam administrationem, sublata necessitate extrema, arctior est conjunctio viri cum uxore, quam cum patre, & matre. Tertio loco debet subveniri pater. Quarto mater. Deinde reliqui juxta gradum conjunctionis. *Sed in necessitatibus extremæ articulo*, ait D. Thom. 2. 2. q. 31. a. 3. ad 4. *magis liseret desserere filios, quam parentes, quos nullo modo desserere licet, propter obligationem beneficiorum susceptorum*.

§. II.

De ordine subveniendi in spiritualibus.

35. Inq. 1. An quis debeat se diligere plusquam proximum? R. affirm. quia dilectio sui est exemplar dilectionis proximi, juxta illud Matt. 22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; Unde caritas bene ordinata incipit a se ipso, præcipue in bonis spiritualibus.

36. Dices: Moyses voluit pro fratribus deleri de libro vite, & Paulus pro illis anathema esse: ergo potest quis diligere proximum plusquam seipsum. R. neg. conseq. quia isti loquebantur per exaggerationem, indicantes amoris ardorem,

Cap. I. De natura, & præceptis caritatis.

rem, & vehementiam, scientesque privandos non esse divina participatione, & gloria, nisi ad summum pro aliquo tempore.

37. Inq. 2. An debeat quis plus diligere proximum, quam corpus proprium? R. affirm. quia in proximo diligitur anima capax per se æternæ beatitudinis, quod non habet corpus proprium, nisi ratione animæ. Ex quo manifeste liquet, propriam animam esse magis diligendam, quam proprium corpus: nam spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. D. Thom. 2. 2. q. 26. a. 5.

38. Inq. 3. An possit quis pati detrimentum spirituale ob bonum spirituale proximi? R. Duplex potest considerari detrimentum: aliud positivum, aliud privativum. Positivum est culpa, aut peccatum. Privativum est privatio alicujus lucri spiritualis sine peccato. Detrimentum ergo positivum nunquam licet pati ob quodcumque motivum, nec committi peccatum quantumvis veniale ob totius mundi salutem, aut conversionem; imo esto per impossibile salus omnium damnatorum penderet ex uno mendacio levi, non debet illud proferri. Ex quo apparet, quam male se gerunt aliqui sacerdotes, qui ne audientibus fastidium, aut indevotionem generent, nimis festinanter celebrant; peccant enim saltem venialiter, & detrimentum animæ patiuntur contra ordinem caritatis propriæ. Sed quid de illis, qui passim mentiuntur?

39. Inq. 4. An sit licita privatio propria in bonis spiritualibus, quæ necessaria non sunt ad salutem æternam consequendam, ob profectum spiritualem proximi? R. affirm. quia non tenemur ad opera meliora semper, maxime urgente aliorum necessitate. Unde ex motivo caritatis potest quis se abstinere ab opere non præcepto, ut proximo subvenire valeat. Hac ratione opera devotionis interdum differenda sunt, ut aliis succurratur: differri debet etiam ingressus in religionem, ut parentum inopiam provideatur. Et sic de similibus. Vid. D. Thom. ubi sup. a. 4. ad 2.

40. Cæterum illis gratis supernaturalibus, quæ necessaria non sunt ad Deum absolute diligendum, licitum est velle se

privari ob aliorum salutem. Hinc seraphica virgo Theresia ferventissima caritate optabat, se privari divinis charismatibus, & celestibus donis, quibus in contemplatione abunde fruebatur, ut Deus ea Regibus donaret ad majorem sui gloriam, & honorem, ut egregie ipsa scribit cap. 21. n. 1. *vita suæ*.

41. Inq. 5. An sit licitum velle se privari beatitudine ob profectum spiritualem proximi? R. quod volitio privationis beatitudinis in perpetuum numquam est licita: quia ordo caritatis postulat, nostram beatitudinem æternam præferri aliorum saluti. Verum optare dilationem beatitudinis pro aliquo tempore licitum est, ob motivum promovendi bonum spirituale proximi. Constat ex Apostolo ad *Philippenses* 1. Ubi desiderans dissolvi, & esse cum Christo, sustinet dilationem propter eos. Constat etiam ex s. Martino, s. Ignatio Loyola, & ex prætoris caritatis victima s. matre Theresia, quæ intensissime cupiens dilecti amplexum, volebat aliquandiu in exilio manere, ob aliorum profectum, tom. 2. *epist.* 4. *in fine*.

42. Inq. 6. An sit licitum, se private satisfactione operum bonorum, & suffragiorum, eamque applicare animabus purgatorii, quamvis ex hac privatione aliquantulum nobis differatur ingressus gloriæ? R. affirm. quia est actus ferventissimus caritatis, quo sufficientissime compensatur temporanea illa privatio beatitudinis, per incrementum meriti, & gloriæ, quod apud Deum promeretur, qui per illum suffragatur animabus a se dilectis. Quapropter magno opere laudanda est, & nunquam prætermittenda consuetudo, quæ apud nos invaluit, offerendi coram communitate nocte prima Novembris opera nostra satisfactoria pro animabus purgatorii, ut citius ab illo ergastulo liberentur, optando potius pro aliquo tempore felicitate gloriæ carere, quam sinere illas supra modum felices animas diu in illis tormentis cruciari. Quod Deo esse maxime gratum, & acceptabile, non dubitamus: cum sit actus caritatis valde excellens, quo ipsa caritas intenditur, & meritum essentialis augetur.

43. Inq. 7. An quilibet teneatur cum pe-

periculo vitæ subvenire proximo extremam necessitatem spiritualem patienti? R. per se loquendo teneri: constat ex illo Joannis 1. cap. 3. *Sicut Christus animam suam posuit pro nobis, & nos debemus animas pro fratribus ponere.* Probatione: quia bonum spirituale, utpote præstantius, debet præferri bono corporali: ergo cum detrimento hujus debemus illi subvenire, quando possumus sine detrimento proprio spirituali. Unde si potens subvenire est in peccato mortali, debet prius sibi consulere, quam proximo. Similiter, quando succurrentis persona necessaria est bono communi Ecclesie, aut reipublicæ, non debet exponi pro salute spirituali proximi. Idem teneas, quando alter, sive compos, sive impositus te invadit occidendum: quia ille non est in extrema necessitate, sed in extrema iniquitate, a qua potest, & debet recedere.

44. Ex dictis sequitur teneri fideles, etiam cum vitæ periculo, ad defendendam proximi dormientis vitam, si judicent, eum in peccato mortali existere, & moraliter credant postea meliorandum. Item, quando infans Christianorum filius non baptizatus rapitur ad mortem, si non est alius, qui baptizet, teneris cum vitæ discrimine illum baptizare. Obstetrix, quæ in valide innocenter, aut criminose plures baptizavit, tenetur cum periculo vitæ damnum reparare. Si peccator notorius morti proximus postulet Confessarium, tenetur iste illi subvenire, etiam cum periculo vitæ, si alius non adsit, nec sit spes, quod per contritionem justificetur.

45. Inq. 8. Si ex una parte infans non baptizatus sit in periculo mortis, & in eodem periculo adultus petat confessionem, cui prius subveniendum est? R. prius infanti subveniendum esse, quam adulto: quia hic habet medium contritionis ad salutem consequendam, quo omnino caret infans: isto ergo baptizato, debet subveniri adultus, si jam non desecit.

46. Inq. 9. An in necessitate gravi spirituali proximi teneris cum vitæ periculo ei succurrere? R. sub distinctione: quia vel est persona particularis, vel ex officio tenetur, qui succurrere

potest. Si primum, non tenetur cum periculo vitæ, famæ, aut facultatum: quia, sublata necessitate extrema, valet proximus aliter salutem æternam consequi: ergo nullus particularis tenetur cum dispendio gravi vitæ, famæ, aut facultatum ei subvenire. Unde non teneris cum dicto periculo peccatores a vitæ extrahere. Nec subvenire filiz, quam pater restituere parat: quia tantum laborant necessitate gravi, a qua possunt per se ipsos liberari.

47. Verum si communitas aliqua gravem pateretur necessitatem spiritualem, teneris illi subvenire etiam cum periculo vitæ: quia damnum commune semper præferendum est particulari. Quare concionator tenetur reprehendere peccata publica, quæ alios inficiunt. Similiter si populus esset in periculo amittendi fidem, aut amplectendi aliquem errorem, debes, etiam cum vitæ discrimine, illum instruere.

48. Qui autem ex officio tenetur, debet etiam cum vitæ periculo gravi spirituali necessitati proximi providere: quia hic ratione officii, & stipendii accepti strictius, quam alii, tenetur in omni necessitate: sed alii tenentur in extrema necessitate: ergo iste in gravi. Igitur Episcopi, Parochi tempore pestis, si alios idoneos non substituant, tenentur ovibus suis ministrare sacramenta baptismi, & Poenitentiae, & etiam extremæ unctionis illis, qui aliud sacramentum nequeunt recipere. Nec possunt officium renuciare, alias nullus pastor esset obligatus ovibus assistere.

49. Inq. 10. An sit licitum se exponere probabili periculo peccandi, aut illud non deserere ob salutem spiritualem proximi? R. si probabilior sit spes constantiæ, & immunitatis a proprio lapsu, licita est talis expositio: quia honestatur ex motivo salutis spiritualis proximi. Si vero æqualiter lapsus, & victoria anceps sit, prius consulendum est salutem propriam, quam alienam. Cæterum quando salus spiritualis proximi necessario periclitatur, tua vero solum contingenter, potes, & debes periculo te exponere. Ut si infans apud infideles necessario sine baptismi moriturus sit, nisi accedas; licet ex accessu timeas probabili.

bilibet subversionem, teneris accedere, & baptizare infantem: quia iste non debet privari jure: ad baptismum, ob malitiam infidelium, vel fragilitatem contingentem baptizantis. Similiter si Sacerdos reperiret mulierem solam partui proximam, & rogaretur, ut præstaret subsidium, ne pereat ipsa cum prole, deberet divino auxilio fretus, illi succurrere, præcipue propter prolem, ne baptismus privaretur. *De ordine subveniendi in corporalibus.*

50. Inq. 11. An mater gravis impotens parere, teneatur sectionem ventris pati, ut proles baptizetur? R. neg. quia nullus habet jus ad baptismum cum tanto detrimento, priusquam oriatur. Sic D. Thom. 3. p. 9. 68. art. 11. ad 3. & alibi.

§. III. De ordine subveniendi in corporalibus.

51. Inq. 1. An possit quis alteri cedere panem, equum, aut tabulam, ut a morte liberetur, ipso in æquali necessitate constituto? R. licere ex motivo virtutis; constat ex illo Jo. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hanc doctrinam legitimam docent Salmanticenses; quidquid in contrarium velit hic dicere Concina. Igitur licitum est ex motivo virtutis propriam vitam exponere pro salvanda alterius vita; et sic in naufragio potes donare alteri tabulam jam occupatam, in extrema famis necessitate utriusque panem alteri largiri, in summo periculo vitæ donare equum ad fugiendum, nisi sis persona bono communi necessaria.

52. Verum absque dicto virtutis motivo illicitum est vitam pro vita exponere, quia esset contra ordinem caritatis. Hac ipsa ratione non licet vitam exponere pro honore, fama, aut bonis temporalibus alterius: quia vita est superioris ordinis ad omnia temporalia. Similiter est illicitum: juste damnato, ut fame pereat, non sumere panem sibi clam oblatum: quia hoc esset se ipsum occidere, respiciendo media ordinaria ad vitam.

53. Inq. 2. An ordo caritatis hæcenus Tom. I.

prælibatus semper obliget, sub gravi? R. tantum in duplici casu graviter obligare. Primo in extrema necessitate: quia in illa præceptum caritatis maxime urget; ergo debet adimpleri secundum jus, quod unusquisque habet, ut subveniatur juxta ordinem caritatis. Secundo obligat in necessitate gravi proximi, quando subveniri valet levi incommodo corporali succurrentis: ratio est, quia si necessitas gravis sit spiritualis, est ordinis superioris: ergo præferenda est incommodo levi corporali. Si autem necessitas gravis temporalis fuerit, caritas præcipit succurrere proximo grave detrimentum patienti, dum levi incommodo proprio id præstari potest. D. Thom. 2. a. q. 26. a. 4. ad 2.

P U N C T U M V. De inimicorum dilectione.

54. Inq. 1. An detur præceptum inimicos diligendi? R. Eodem præcepto naturali, & divino caritatis iuberi dilectionem inimicorum, ac proinde obligare eisdem temporibus per se, & per accidens, ac ipsum præceptum caritatis erga proximum: quia inimicus proximus est. Unde licet nequeat diligere, ut inimicus, aut peccator, quia ut talis caritati repugnat; tamen ut proximus diligere debet in omni casu, in quo urget præceptum dilectionis proximi. In hoc sensu debet intelligi, si in aliquo texto repariatur: *Oderis inimicum tuum*; nempe ut inimicum, minime, ut proximum: hoc est oderis vitium, non personam.

55. Verum quia hoc non parum difficile videtur humane fragilitati, Salvator noster specialius voluit exponere hoc præceptum, dicens *Matt. 5. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Et tandem suo exemplo illud docuit, & confirmavit, dum in cruce pendens patrem pro persecutoribus exoravit.

56. Inq. 2. An in lege veteri esset hoc præceptum de inimico diligendo? R. In omni lege sive naturæ, sive scripta invaluisse hoc præceptum. Quia ex una parte jus naturale exigit diligere fratrem, & consortem naturæ; & ex alia constat ex pluribus locis sacræ paginæ: Ut Pro-

verb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.

57. Obiic. Dominus loc. cit. Matthæi dixit: *Audistis, quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Ergo in lege veteri licitum fuit odium inimici. R. neg. conseq. quia semper fuit illicitum inimici odium; est enim intrinsece malum, nec usquam lex divina illud permisit. Quapropter non dixit Dominus: *Legistis*, quia dictum est. Ita D. Thom. in 3. dist. 31. q. 1. art. 1. ad 2. *In veteri lege etiam homines tenebantur ad dilectionem inimicorum, sicut patet per auctoritatem. Unde quod dicitur, odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumptum, quia nusquam hoc in littera invenitur; sed est additum ex prava interpretatione judæorum.*

58. Inq. 3. Quid jubeat præceptum inimicos diligendi? R. hoc præceptum esse affirmativum, & negativum. Quatenus negativum prohibet semper, & pro semper odium inimici, velle illi malum, seu gaudere de illius malo, & conservare livorem vindictæ contra illum. Quatenus affirmativum præcipit tria. Primum remittere offensam. 2. In amore generali erga proximum includere etiam inimicum, diligendo eum actu interno, & formali. 3. Præparationem animi ad illum diligendum in particulari, hoc est, dum videas illum in necessitate spiritali, aut corporali: vel dum quis graviter tentatur ad odium inimici, in quo casu tentatur arctius remittere offensam positive.

59. Inq. 4. An sit licitum excludere inimicum a beneficio toti populo, aut communitati liberaliter collato? R. per se loquendo non licere: quia esset signum interioris aversionis contra illum. Unde qui orans pro omnibus, vel elemosynas omnibus pauperibus alicujus loci elargiens, & similia beneficia generaliter efficiens, inimicum excluderet, peccaret graviter contra præceptum caritatis. Cæterum si donans beneficium gratiosum, sit superior, aut Prælati, poterit aliquando illum licite excludere, ob ejus correctionem, & emendationem, aut ex alia prudenti causa.

60. Inq. 5. An teneamur signa dilectionis inimico exhibere? R. Signa dilec-

tionis communia tenemur inimicis præstare: quia oppositum esset livorem vindictæ conservare; signa vero specialia dilectionis non tenemur exhibere inimico: quia talia signa non sunt de præcepto, sed de consilio, & perfectione. Unde non teneris diligere inimicum speciali amore, hospitio recipere, familiaritatem cum illo habere, pluries agrorum visere, aut mæstum solari. Cum hæc omnia, præciso scandalo, sint mere voluntaria, & nulli debita. Si vero scandalum sequatur ex tali omissione, aut salus spiritalis, vel corporalis inimici speretur ex talibus signis, debes ea illi præstare: ne credaris te illum odio habere. Similiter dicta signa specialia denegari nequeunt parentibus, filiis, fratribus, cognatis, & amicis: quia respectu horum potius reputanda sunt signa communia, quam particularia. Saepe inimici plus nobis favent, quam amici pro exercitio virtutis, ut patet in Martyribus, & aliis sanctis: qui ideo illos diligebant speciali amore, tanquam veros benefactores sui profectus spiritualis.

61. Inq. 6. An teneamur salutare inimicum obviam factum? R. 1. Regulariter neminem teneri salutare inimicum, quia salutatio est speciale dilectionis signum, quod nec amici tenemur sub gravi exhibere. R. 2. Quod si salutes simul plures, inter quos adest inimicus, teneris eum salutare, & non excludere illum a communi salutatione, quia alias præbes fundamentum ad credendum, te eum excipere ob inimicitiam, aut odium. R. 3. Filios, subditos, aut inferiores teneri salutare patrem, prælatum, judicem, aut superiorem, licet videatur inimicus: quia hoc exigit proba educatio, multo amplius pietas, reverentia, & humillis obedientia ipsis debita: & ideo saltem aliquo signo humilitatis debent ipsis submissionem pro salutatione præstare. R. 4. Inimicum nos salutantem, tenemur sub gravi resalutare: quia resalutatio est signum commune omnibus debitum; nisi aliquis excusetur ex justa causa, de qua statim.

62. Inq. 7. An Superior, Prælati, aut pater possint denegare salutationem, & allocutionem subditis, aut filiis ob aliquam rixam, aut inimicitiam? R. 1. Cau-

Cau-

Causa odii, aut inimicitia: numquam licere: quia odium, utpote repugnans caritati, semper est illicitum. R. 2. Causa correctionis posse denegare talia signa, ut ex vultus severitate, & negata allocutionis suam culpam agnoscant, & respiciant. Neque enim decet superiorem omnia verbo, & minus flagello corrigere. Oportet ergo aliquando, quod subditi ex vultu superioris dignoscant, eorum defectus superiorem non latere, eique displicere. R. 3. Parentes juste denegare ex eodem motivo correctionis salutationem, & allocutionem filiis, qui contra eorum voluntatem, aut honorem matrimonium contraxerunt: vel alia actione turpi familiam dehonestarunt. Valent insuper eos a domo expellere, aliis filiis, & domesticis jubere, ne cum illis conversentur: ut sic cæteri terreantur a simillium perpetratione. Debent tamen curare, ne puniio excedat gravitatem delicti, nec diu ista absoluta denegatio perduret, sed arbitrio prudenti, congruo tempore transacto, temperanda est juxta regulas Christianæ caritatis. Sex mensium spatium, plus minusve sufficiens videtur ad leniendum dolorem parentum, & remittendam, punitionem filiorum.

63. Inq. 8. An consanguinei, vel alii conjuncti omittentes consuetam allocutionem ex motivo alicujus rixæ, vel alterius causæ graviter peccent? R. si per multum tempus sic aversi permaneant, absdubio graviter peccant. Tum propter conjunctionem sanguinis, quæ ex tali aversione maxime vulneratur præceptum mutua caritatis: tum propter scandalum, quod inde oritur apud omnes videntes familias sanguine conjunctas plus inter se rixatas, & divisas, ac si essent extraniores. Quare Parochus, & Confessarius curare debent eorum reconciliationem, etiam differendo ad tempus absolutionem. Hoc ipsum potiori ratione intelligendum est de personis religiosis ejusdem monasterii, collegii, aut communitatis, si aliquando inter illas contingat hujusmodi denegatio allocutionis: nam cum monasteria sint schola caritatis, ab eis procul exulare debet pestis odii, discordiæ, aut inimicitia. Unde nisi parvitas materix, aut brevis temporis excuset, denegatio allocutionis erit lethalis inter

personas religiosas. Nam quod in secularibus reprobat, in se ipsis amplius reprobare debent.

64. Circa prædicta duo præ oculis habenda sunt: nempe animus interior, & significatio exterior. Animus interior semper immunis debet esse ab odio, inimicitia, aut livore vindictæ, alias erit peccatum juxta ejus quantitatem, vel materiam, licet denegatio signi secundum se non sit notabilis. Significationem exteriorem possunt excusari a gravi, & quandoque etiam a levi aliqua circumstantia: ut actualis inadvertentia, parvitas temporis, vel ostensio justitiam doloris. Hinc nobilis matrona, reuens resalutare mariti occisorem, excusanda est a gravi, quando resalutatio facienda esset brevi intervallo a morte mariti: quia tunc justo dolore oppressa, non gaudet mente integra. Verum quoties denegatio deliberata denotat indignationem internam, aut odium, vel scandalum grave in alios pariat, erit mortale, licet desit interior animus graviter pravus. Non tamen peccatum scandali semper est grave, quare non omnia illico ad grave damnanda sunt; licet melius sit vitare omnem suspicionem, & liberales nos esse in materia caritatis ad exhibenda signa dilectionis, imitantes Dominum, qui ita se gessit, nobis relinquens exemplum.

65. Inq. 9. An sit licitum optare malum inimicis, & peccatoribus? R. Quod optare malum sub ratione mali semper est illicitum; optare tamen inimicis, aut peccatoribus malum temporale, vel ob illorum bonum spirituale, ut a peccatis respiciant: vel ad gloriam Dei, ut justitia ejus resplendeat, vel ut desistant ab aliorum infestatione, aut oppressione, licitum est. Quia hoc est optare absolute bonum, vel malum sub ratione boni. Possumus ergo optare peccatori aegritudinem, per quam impediatur a peccatis committendis. Possumus etiam imprecare tyranno, Turcæ, & hæreticis mortem, aut alia damna: ut per illa divina justitia ostendatur, & desistant a persecutione Ecclesiæ catholicæ. Ita D. Thom. 2. 2. q. 76. art. 1.

66. Inq. 10. An sit melius, & magis meritorium diligere amicum, quam inimicum? R. Quod simpliciter, & absolu-

te

te loquendo, & cæteris paribus, melior, & magis meritoria est dilectio amici, quam inimici, quia est actus nobilioris objecti, & in quo est major ratio virtutis, caritas enim jubet amare amicum præ inimico. Ita Angel. 2. 2. q. 27. a. 7.

67. Objic. 1. Matth. 5. dicitur: *Sidiligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Ergo videtur, quod dilectio amici meritoria non sit. R. Quod dilectio amici meritoria non sit, quia dilectio amici propter se, amati nullam mercedem meretur, & ita intelligendus est, textus; sed si ametur propter Deum, de fide est mereri vitam æternam; ideo dicitur cæteris paribus, factaque comparatione dilectionis amici, & inimici unice propter Deum, melior est illa, quam ista.

68. Objic. 2. Opus difficilius factum propter Deum melius, & magis meritorium est, quam opus facilius; sed dilectio inimici difficilius est, quam dilectio amici, ergo & melior. R. disting. min. dilectio inimici difficilius est, ex parte objecti, nego minor, ex parte subjecti, transeat minor, & nego consequentiam. Nam perfectio specifica, & absoluta actus sumitur ex parte objecti, non vero ex parte subjecti: alias dilectio inimici melior, & magis meritoria esset, quam dilectio ipsius Dei, quod non est verum. Aliquomodo autem præminet dilectio inimici dilectioni amici, in quantum animus hominis per illam ad remotiora se extendit: sicut virtus ignis ostenditur fortior, quanto ad remotiora suum calorem diffundit; verum tamen ipse ignis in propinquiora fortius agit.

Р у к с т у м VI.

De præcepto reconciliationis inimicorum.

69. Inq. 1. An detur præceptum reconciliationis cum inimico? R. affirm. quia eadem caritas, quæ præcipit mutuum amorem, & unionem fraternam, jubet post divisionem mutuum reconciliationem, sed clarius voluit eam præcipere Dominus Matth. 5. dicens: *Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, & vade reconciliari fratri tuo. Ubi,*

ut vides, jubet reconciliari fratri, quem læsisti, priusquam offeras munera Deo, qua major recomdatio fraternæ caritatis, & mutua reconciliationis excogitari non valet.

70. Inq. 2. Ad quid teneatur offensore? R. offensorem teneri in primis se dolere de offensa alteri irrogata. Deinde tenetur etiam sub gravi, quantocius moraliter possit, reconciliationem procurare illo modo, qui a prudentibus judicatur sufficiens, & opportunus pro qualitate personæ, loci, & temporis. Quandoque congruum merit illam aliquantulum differre, ut offensa deferretur, & dolor leniatur, sicut in casu matronæ dolore transixæ ob mariti, aut filii occisionem. Circumstantiæ ergo inspiciendæ sunt; dummodo offensore paratus sit ad congruam satisfactionem exhibendam.

71. Quando duo paris conditionis se invicem offendunt per injuriam prudentum iudicio æqualem, neuter tenetur ad petendam veniam, sed ad se mutuo reconciliandum, vel per se ipsos, vel per interpositam personam, exhibendo sibi invicem signa specialis benevolentiae. Qui autem prius injuriam intulit, tenetur prior, per se loquendo, ad hæc signa præstanda. Item, qui gravius læsit, prius absolute debet se submittere mutua reconciliationi; cæterum, quia pluries difficile cognitum est, quis injuriæ caperit, vel graviores injurias intulerit, cum pauci se cognoscant, ideo uterque cogendus est ad mutuum reconciliationem, ne cum gravi scandalo reipublicæ odia, & inimicitia inter personas, & familias diu foveantur.

72. Parentes, Prælati, aut alii superiores licet excedant in correctione inferiorum, non adstringuntur eis veniam petere: *Ne dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*, ut inquit S. Aug. in regula. Tenentur tamen modo non incogruo suæ auctoritati satisfacere famæ, aut honori læso inferiorum: cum Prælati, non solum ex caritate, sed ex debito justitiæ sui officii, strictè incumbat, inferiorum famæ, & honori prospicere. Filii, subditi, & alii inferiores semper tenentur superioribus offensus veniam humiliter petere, & signa specialis dilectionis prævenire.

73. Inq. 3. Ad quid teneatur offensore? R. Teneri in primis ad non concipiendum odium contra proximum, vel ad statim deponendum, si jam illud concepit: quia ad hoc tenetur ex præcepto caritatis, quæ semper, & pro semper odium prohibet. Deinde tenetur ad remittendam positive offensam ex corde, exhibendo signa communia dilectionis offensore, & succurrere illi in extrema necessitate. Non enim sufficit, non odisse, sed ulterius requiritur, & offensorem positive diligere, & illi in necessitate succurrere juxta præscriptum Domini: *Benefacite iis, qui oderunt vos*. Tandem tenetur acceptare reconciliationem rationaliter oblatam, exhibendo tunc signa specialia dilectionis. Si tamen offensus esset pater, aut superior, posset ad majorem correctionem inferioris aliquandiu hæc signa prudenti moderatione differre.

74. Inq. 4. An in articulo mortis teneatur offensore reconciliari cum offensore, vel proprio occisore? R. affirm. casus iste decisus manet cum doctrina incilitæ virginis sanctæ Theresiæ matris nostræ tract. 2. n. 100.

75. Igitur licet in aliis casibus opportune differri valeat reconciliatio; minime in articulo mortis: quia post mortem non adest tempus; ideo ibidem diximus, quod esto teneamur sequi in vita easdem opiniones, ac in morte; sed periculum mortis variat casum.

76. Inq. 5. An teneatur offensore condonare non solum offensam, sed etiam satisfactionem, & damni compensationem? R. secluso omni odio, aut inimicitia, non tenetur offensore remittere satisfactionem, nec damni reparationem: quia ad utramque habet jus strictum, & utrique debet offensore ex justitia satisfacere. Imo aliquando nec convenit, nec potest offensore illas condonare, ut si est membrum communitalis, cujus honori, aut læsioni cedere non valet. Si est pater familias per cujus inhonorationem, aut dispendium læduntur filii, & sic de aliis. Adverte tamen, quod avidus recuperandi honorem illum sæpe plus amittit cum magno domus suæ, & filiorum dispendio.

77. Si offensore adzquatam offerat sa-

tisfactionem, & damni compensationem, debet offensore illam admittere, quæ judicialiter eam exigat: quia solum habet jus, ut sibi honor, & damnum adzquate reparetur, ergo oblatio hæc ab offensore, nihil amplius offensore valet juste exigere. Fatemur, quod si offensore peteret coram iudice vindictam unice, & sincera intentione emendationis offensore, vel ad justum terrorem aliorum malefactorum, vel ex motivo boni communis, aut pacis, & quietis reipublicæ, abs dubio liceret illi eam exigere. Sed quis est hic, & laudabimus eum? Eccl. 3.

C A P U T II.

De elemosina, & correctione fraterna.

Р у к с т у м I.

De elemosina.

78. **E**lemosina vox græca est, quæ latine dicitur *miseratio*, seu *misericordia*. Misericordia autem originem ducit a *miseria*, & *corde*, seu *miseria corde*. Est duplex, alia propria hominum, quia movetur ex compassione, seu tristitia alterius miseræ, & nequit competere Deo, ut ex se patet. Alia, quæ propriissime convenit Deo, quia non ex compassione, sed ex mera bonitate movetur, quæ sic describitur: *Voluntas sublevandi alienam miseriam*. Hæc inter virtutes nobilissima est, & pene æquat caritatem. Distinguitur tamen ab ea in nobis, quia caritas succurrit pauperi immediate propter Deum; & misericordia vero subvenit immediate propter bonitatem intrinsicam miseriationis: Unde distinguitur specificè caritas, & misericordia propter distinctas rationes formales.

79. Inq. 1. Quid sit elemosina? R. est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum. Vel sublevatio alienæ miseræ ex compassione propter Deum. Dicitur opus, ut significetur esse actum exteriorum, quo datur aliquid indigenti, ad significandam materiam circa quam, scilicet passivam indigentia sublevationem; ex compassione, ad denotandam rationem formalem misericordiae nostræ, propter Deum, ut in-